

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXVII - N. 2

2005

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

DECEMBRI 2005

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS BENEDICTI PP. XVI

Litterae Apostolicae <i>Motu proprio</i> datae de Basilicis Sancti Francisci et Sanctae Mariae Angelorum quibus novae normae decernuntur	149
--	-----

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	151
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	153

ALLOCUTIO Em.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Murcensem Sancti Antonii occasione Congressus Eucharistici Internationalis Universitarii habita: <i>La Eucaristía en el ordenamiento jurídico de la Iglesia</i>	154
---	-----

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI Adnotatio de Ministro Sacramenti Unctionis Infirorum	175
--	-----

CONGREGATIO DE INSTITUTIONE CATHOLICA Instructio circa criteria discernendi quoad vocationem personas quae tendentias homo-sexuales praesentant in ordinem ad eas admittendas ad seminarium et ad ordines sacros	180
---	-----

EX ACTIS PONTIFICIA COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio VI)	186
--	-----

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio VII)	203
---	-----

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio VIII)	223
--	-----

Coetus studiorum « De Bonis Ecclesiae Temporalibus » (Sessio IX)	256
--	-----

Schema Canonum « De Iure Patrimoniali Ecclesiae »	284
---	-----

NOTITIAE	304
--------------------	-----

OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	305
--	-----

INDEX RERUM GENERALIS	307
---------------------------------	-----

COETUS STUDII
« DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS »

Sessio VIII^a
(diebus 15-19 decembris 1969 habita)

Diebus 15-19 mensis decembris 1969, in Aula Sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus Studiorum ad recognoscendas normas de iure patrimoniali Ecclesiae.

Conventui intererant: Exc.mus Valentinus Wojcik; Rev.mi Vincentius Fagiolo, Hercules Crovella, Laurentius McReavy, Thomas Garcia Barberena, Ioannes Pasztor, Fridericus McManus; Rev. PP. Daniel Faltin, Uldericus Beste et Alfonsus Stickler.

Primae et secundae adunationi praefuit Rev.mus Bidagor; deinde, ab-sente Rev.mo Secretario, quia aegroto, tertiae, quartae et sextae adunationi praefuit Rev. McReavy; quintae et septimae adunationi autem praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis.

Relatoris munere functus est Rev. Crovella; actuarii munere functus est Rev.dus F. Voto, a studiis Commissionis.

Quaestiones a Secretaria propositae fuerunt sequentes:

- a) de regimine bonorum quae ad personas canonicas privatas pertinent;*
- b) de aliis canonibus transferendis in partem de iure patrimoniali Ecclesiae;*
- c) de ordinatione totius argumenti in libro de iure patrimoniali Ecclesiae.*

Vota de propositis quaestionibus paraverunt Consultores Wojcik, Fagiolo, Crovella, McReavy, Barberena et Beste.

**Adunatio I^a
die 15 decembris 1969 mane habita**

Rev.mus Secretarius omnibus Consultoribus salutem dicit et quaerit num Consultores Relationem laborum VII Sessionis probent quod attinet sive ad integratatem sive ad veritatem eorum quae ibi relata sunt. Consultores unanimiter Relationem approbant.

Deinde Rev.mus Secretarius quaerit placeatne ordinem laborum huius Sessionis prout propositum a Secretaria. Omnes Consultores positive respondent.

**QUAESTIO I
DE REGIMINE BONORUM QUAE AD PERSONAS
CANONICAS PRIVATAS PERTINENT**

Rev.mus Secretarius recolit quae in praecedenti Sessione statuta sunt circa regimen bonorum personarum canonicarum privatarum, scilicet:

- a) illa bona computanda sunt inter bona ecclesiastica;*
- b) illa bona regimen speciale et proprium habere debent;*
- c) illud regimen speciale disponendum est non per novas leges condendas in iure canonico, sed per modum exceptionum in legibus communibus.*

Consultores in suis votis proposuerunt mutationes introducendas in canones de iure patrimoniali Ecclesiae a nostro Coetu iam recognitos.

Ideo in praesenti Sessione propositae mutationes perpendendae sunt.

Can. 1496

Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris sunt Conferentiae episcopales, dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erectae sint.

- a) Rev.mus primus Consultor proponit ut inter verba «in iuridicam personam» et «erectae sint» addantur verba «etiam juris privati».*

Propositio omnibus Consultoribus placet quoad substantiam.

Rev.mus secundus Consultor censem quod redactio canonis melior erit si illa additio ita fiet: « Subiectum ... sunt Conferentiae episcopales ... aliaeque personae morales, *etiam iuris privati*, quae etc... ».

Rev.mus primus Consultor admittit redactionem Rev.mi secundi Consultoris meliorem esse si grammatica inspiciatur, tamen censem propriam redactionem clarior in lucem ponere novitatem illarum personarum canonicarum privatarum, quae prima vice in iure habentur.

Rev.mi Relator et tertius Consultor concordant cum Rev.mo primo Consultore, sed omnes alii Consultores praefrerunt redactionem propositam a Rev.mo secundo Consultore.

b) Rev.mus quartus Consultor proponit ut huic canoni addatur § 2, scilicet: « Bona quae ad personas iuridicas privatas pertinent, regimini speciali seu proprio sunt subiecta, prout in singulis casibus statuitur ». Haec in praesenti canone vel alibi dici debent ut clare appareat dicta bona nedum confundenda esse cum bonis personarum publicarum sed etiam suum proprium habere regimen.

Rev.mus quintus Consultor dicit propositionem Rev.mi quarti Consultoris opportunam esse, sed aliter exprimendam esse, scilicet verbis negativis: « Nisi aliud ex contextu appareat, sequentes canones non respiciunt personas canonicas privatas ». Hoc sensu enim in praecedenti Sessione deliberatum fuit ut nempe bona personarum canonicarum privatarum non subdantur legibus communibus, nisi expresse in singulis casibus dicatur.

Rev.mi tertius, sextus et secundus Consultores censem sensum suffragationis, in praecedenti Sessione habitae, esse alium, quod nempe illa bona personarum canonicarum privatarum, utpote bona ecclesiastica, legibus communibus subduntur nisi in singulis casibus exceptio fiat.

Inde aliqua discussio habetur circa genuinum sensum illius suffragationis praecedentis Sessionis.

Rev.mus Secretarius proponit ut quaestio seponatur usque dum omnes propositiones Consultorum examinatae fuerint circa mutationes in canones inducendas. Quando enim hoc examen absolutum fuerit, clariora forte argumenta Consultores habebunt decidendi in unum vel alium sensum.

Adunatio II^a
die 16 decembris 1969 mane habita

Can. 1497

In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsius Ecclesiae ordinatione statuuntur; praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.

Rev.mus quartus Consultor censem in hoc canone hanc exceptionem faciendam esse:

«... nisi quoad bona, quae ad personas iuridicas privatas pertinent, aliter statutum sit vel pateat ex eorundem ordinatione propria».

Rev.mus Relator animadvertisit quod etiam bona illarum personarum canonicarum privatarum sunt «bona ecclesiastica», quapropter acquirendi possideri et administrari nequeunt nisi «ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda».

Ceterum, notat Rev.mus tertius Consultor, in can.1497 non excluduntur absolute alii fines in bonum Ecclesiae directe vel indirecte vertentes, quia ibi dicitur «... *praesertim* ad cultum divinum etc...».

Ergo exceptio proposita a Rev.mo quarto Consultore non videtur introducenda.

Alii Consultores concordant cum Rev.mis Relatore et tertio Consultore.

Can. 1498

Bona temporalia omnia, quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas morales pertinent, sunt bona ecclesiastica.

Rev.mi Relator, primus, quartus, et septimus Consultores proponunt ut verba canonis ita compleantur: «... aliasve in Ecclesia personas morales *sive publicas sive privatas...*».

Propositio omnibus placet.

Deinde examinatur propositio Rev.morum primi et septimi Consultorum qui aliam § addere vellent in qua dicatur regimen bonorum personarum canonicarum privatarum ordinandum esse iure particulari, salvis propriis statutis.

Rev.mi tertius et sextus Consultores hanc propositionem approbant, sed alii Consultores volunt stare in decisio, ut nempe de regimine bonorum illorum provideatur in iure communi.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut can. 1499 (de dominio bonorum) fiat can. 1498 et can. 1498 (quaenam sint bona ecclesiastica) fiat can. 1499.

Propositio omnibus placet.

Adunatio III^a
die 16 decembris 1969 vespere habita

Can. 1502, § 1

Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi auditio Consilio presbyterali.

Rev.mi quartus, quintus et septimus Consultores proponunt hanc additionem: «... tam physicis quam moralibus, *etiam privatis*, quatenus etc....».

Suggestio omnibus placet, formula tamen, ex communi consilio ita redigitur: «... tam physicis quam moralibus, sive publicis sive privatis...».

Can. 1503 §1

Salvo iure religiosorum, vetantur privati tam clerici quam laici sine propriae Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

Rev.mi quartus et quintus Consultores proponunt ut deleantur verba «privati tam clerici quam laici» et eorum loco dicatur «persona quaevis privata». Rev.mus tertius Consultor proponit ut ad maiorem claritatem dicatur: «persona quaevis privata sive physica sive canonica...».

Suffragatur propositio Rev.mi tertii Consultoris:

placet 7; non placet 2.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut etiam canones 1508-1512 CIC (qui nondum a nostro Coetu recogniti sunt) examinentur sub respectu

regiminis bonorum personarum canonicarum privatuarum, num scilicet in illos canones aliqua mutatio inducenda sit qua ipsae normae ad personas canonicas privatas extendantur.

Rev.mus sextus Consultor censet quaestionem hanc differri posse usque dum illi canones ex professo revisioni subiiciantur. Tunc enim haec quaestio, una cum aliis quaestionibus, perpendi ac resolvi poterit.

Suffragatur placeatne quaestionem cito examinare:
placet 5; non placet 4.

Examinantur ergo immutationes propositae a Rev.mo quinto Consultore:

«Can. 1509

Praescriptioni obnoxia non sunt:

7º Ius visitationis et oboedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato iam subsint».

Formula ita mutetur: «...visitationis et oboedientiae, *etiam erga personas morales privatas*, ita ut etc....».

Rev.mus primus Consultor censet hanc additionem esse superfluam, quia Ordinarius quando concedit decretum personalitatis canonicae potest sibi reservare ius visitationis.

Rev.mus secundus Consultor vero censet hunc non esse locum aptum huiusmodi definitionis. In canone enim dicitur modo generalissimo nullum subditum subtrahi posse iuri visitationis ob praescriptionem. Alibi vero dici debet cui subdantur illae personae canonicae privatae.

Rev.mus quintus Consultor assentit animadversionibus Rev.mi secundi Consultoris.

Can. 1510

§ 1. Res sacrae, quae in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere etc.

§ 2. Res sacrae, quae in dominio privatorum non sunt, non a persona privata, sed a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut in § 1, loco «privatorum», dicatur «*personarum privatuarum etiam moralium*».

Rev.mi tertius et secundus Consultores animadvertisunt mutationem propositam a Rev.mo quinto Consultore introduci non posse, quia per ipsam afficitur ipsa norma substantialis huius canonis. Iamvero, in hac sede nulla mutatio facienda est quae praeiudicet recognitionem substantialem canonum de praeescriptione. Proponunt ergo ut quaestio Rev.mi quinti Consultoris differatur.

Alii Consultores consentiunt cum Rev.mis tertio et secundo Consultoribus.

Circa § 2 Rev.mus quintus Consultor proponit hanc mutationem: «... sed a persona morali ecclesiastica *publica* contra aliam personam morallem ecclesiasticam *publicam* praescribi possunt».

Rev.mi primus et sextus Consultores proponunt ut etiam haec quaestio differatur. Cum enim etiam bona personarum canonicarum privatuarum sint bona ecclesiastica, non appetat cur personae canonicae privatae excludendae sint a favore huius canonis. Quaestio melius perpendi poterit quando de integra recognitione canonis sermo erit.

Propositio Rev.morum primi et sexti Consultorum omnibus placet.

Adunatio IV^a
die 17 decembris 1969 mane habita

Can. 1519 bis

§ 1. Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum, quae ad personas morales pertinent suae iurisdictioni subiectas, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum current.

Rev.mi quartus et quintus Consultores censem in § 1 proferri principium generale, omnibus personis applicandum; ideo post verbum «morales» addendum videtur verbum «etiam privatas».

Rev.mus primus Consultor censem additionem esse superfluam quia omnibus perspicuum est illum principium generale pro omnibus bonis

ecclesiasticis, sive ad personas canonicas publicas sive ad personas canonicas privatas pertinentibus, valere.

Rev.mi quartus et quintus Consultores assentient suggestioni Rev.mi primi Consultoris.

Circa § 2 due mutationes proponuntur:

a) loco verbi «ecclesiasticorum» dicatur «personarum publicarum» (Rev.mi quartus et quintus Consultores).

b) haec clausula finalis addatur «salvo iure particulari in statutis personarum canonicarum privatuarum conditis et rite approbatis» (Rev.mus septimus Consultor).

Rev.mi primus et sextus Consultores vellent tribuere Ordinario facultatem ordinandi negotium administrationis bonorum personarum canonica rum privatuarum, ideo censem propositionem Rev.morum quarti et quinti Consultorum esse reiciendam.

Rev.mus quintus Consultor notat personas canonicas privatas assimilari non posse personis publicis quoad omnes leges de regimine bonorum, secus nulla manet ratio distinctionis inter personas canonicas publicas et privatas.

Suffragatur placeatne propositio Rev.morum quarti et quinti Consultorum:
placet 6; non placet 3.

Quoad propositionem Rev.mi septimi Consultoris aliqui Consultores censem illam admitti non posse cum iam inducta sit mutatio proposita a Rev.mis quinto et quarto Consultoribus. Illa clausula enim supponit praesentem § 2 valere de omnibus personis moralibus sive publicis sive privatis (Rev.mi quartus, tertius et secundus Consultores).

Rev.mi Relator et quintus Consultor vero censem etiam propositionem Rev.mi septimi Consultoris admitti posse quin habeatur dissensio cum alia propositione iam admissa.

Suffragatur placeatne clausula proposita a Rev.mo septimo Consultore:
placet 3; non placet 5; se abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1520 bis

Administratio bonorum ecclesiasticorum penes eum est, qui immedia te regit personam moralem ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare aut legitima consuetudo.

Aliqui Consultores proponunt ut canon ita compleatur: «... aut nisi, quatenus de personis canonicis privatis agitur, aliud in earum statutis caustum sit» (Rev.mi Relator, quartus, tertius et septimus Consultores). De personis canonicis privatis enim ab alio Coetu statutum est illas reprezentari ab illis «quibus eadem competentia *per statuta* tribuitur».

Rev.mi quintus et sextus Consultores censem additionem superfluam esse, cum iam in canone dicatur: «nisi aliud ferat ius particulare aut legitima consuetudo».

Tunc Rev.mus Relator proponit ut haec clausula canonis ita compleatur: «Administratio bonorum ecclesiasticorum personae canonicae sive publicae sive privatae penes ... nisi aliud ferant ius particulare, *statuta*, aut legitima consuetudo».

Placet 8; non placet 1.

Can. 1521

In administratione bonorum ecclesiasticorum, quae ex iure vel tabulis fundationis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros idoneos, qui elapso triennio a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur.

Rev.mus tertius Consultor ob eandem rationem ac in canone praecedenti, proponit ut in praesentem can. 1521 haec additio inseratur: «In administratione bonorum ecclesiasticorum personae canonicae sive publicae sive privatae, quae ex iure vel tabulis fundationis aut propriis statutis, suos non habeant administratores, etc...».

Propositio omnibus placet.

Can. 1521 bis

Omnis, sive clericis sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum ecclesiasticorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

Plures Consultores proponunt ut praesens canon restringatur ad solas personas canonicas publicas, quia administratores bonorum personarum privatuarum munera sua non implent nomine Ecclesiae (Rev.mi Relator, quartus, tertius et septimus Consultores).

Propositio omnibus placet, ideoque formula canonis ita mutatur: «... in administratione *bonorum personarum canonicarum publicarum*, munera sua etc...».

Can. 1522.

Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum munus ineant:

- 1º debent se bene et fideliter...
- 2º accuratum ac distinctum inventarium...
- 3º huius inventarii alterum exemplar...

Rev.mus quintus Consultor proponit ut administratores bonorum personarum canonicarum privatarum excludantur ab hac norma, quia non agunt nomine Ecclesiae.

Fere omnes Consultores e contra censem hanc normam pro omnibus administratoribus valere, sive agatur de personis canonicis publicis sive agatur de privatis.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut addatur § 2 his verbis: «Eadem valent etiam de administratoribus bonorum personarum canonicarum privatarum, nisi aliud in propriis statutis cautum sit».

Suffragatur placeatne propositio Rev.mi sexti Consultoris:

placet 7; non placet 1; se abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1523

§ 1. Omnes administratores... diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

1º ...

...

5º pecuniam quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines Ecclesiae vel instituti occupare.

...

7º rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut in n. 5 dicatur: «...de consensu Ordinarii *vel superioris in statutis determinati*, etc...», et in n. 7º dicatur: «... ad Ordinarium vel superiorem ex statutis competentem transmittere».

Omnes Consultores concordant circa addictionem ad n. 7º. Circa autem addictionem ad n. 5º Rev.mus quintus Consultor animadvertis ipsam recipi non posse, quia norma n. 5º videtur restringenda ad personas canonicas publicas.

Rev.mus tertius Consultor proponit ut n. 5º ita redigatur: «...de consensu Ordinarii, si agitur de persona canonica publica, in fines Ecclesiae vel instituti occupare».

Propositio Rev.mi tertii Consultoris omnibus placet, excepto Rev.mo quinto Consultore.

Can. 1523 bis

Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christiana caritatis facere.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut canon ita compleatur: «... caritatis facere, nisi aliud quoad personas canonicas privatas in propriis statutis statuatur».

Omnes Consultores hanc propositionem reiciunt.

Can. 1525

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum, quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod, examine peracto, eas Ordinario tradat.

Rev.mi quartus et quintus Consultores censem hanc normam tum personas canonicas publicas tum privatas afficere debere. Ideo proponunt ut vox «quorumvis» deleatur, et post verbum «ecclesiasticorum» ponatur: «etiam personarum privatarum».

Propositio aliis Consultoribus non placet.

Can. 1526

Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve contestentur in foro civili nisi licentiam scripto datam Ordinarii proprii et Ordinarii loci obtinuerint.

Rev.mus septimus Consultor hanc additionem proponit: «... nisi licentiam... Ordinarii proprii, *vel Superioris proprii* et Ordinarii loci obtinuerint». Nam fieri potest ut licentia requiratur a superiore qui non sit Ordinarius.

Rev.mus quintus Consultor, contra Rev.mum septimum Consultorem, notat quod si requiratur licentia a superiore qui non sit Ordinarius, id ex aliquo praescripto statutorum constabit. Ideo superflua appareat additio in praesenti canone.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo quinto Consultore.

Adunatio V^a
die 17 decembris 1969 vespere habita

Can. 1527

§ 1. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant.

§ 2. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab eisdem administratoribus illicite sed valide positis respondebit Ecclesia, salvo iure recursus contra illos, qui damna eidem intulerunt.

Rev.mus septimus Consultor, ob eandem rationem ac in canone precedenti, proponit hanc additionem in § 2: «... ab Ordinario *vel Superiori proprio* facultatem etc. ».

Propositio non placet.

Rev.mi Relator, quintus et secundus Consultores vero proponunt ut ab hoc canone excludantur personae canonicae privatae. Canon enim dicit Ecclesiam non respondere de actibus, qui excedunt fines ordinariae administrationis, sine debita licentia positis. Iamvero haec norma restringi debet ad illas tantum personas quae agunt nomine Ecclesiae, quae sunt personae

canonicæ publicæ. Praeterea personæ canonicae privatae peculiares necessitates, ob suos fines, habent quare non videtur opportunum ut Ordinarius facultatem habeat limites illis imponendi circa administrationem bonorum.

Rev.mus tertius Consultor censet nullam mutationem esse necessariam, quia iam in § 1 norma valde flexibilis habetur per quam Ordinarius præscriptiones determinare potest « intra ambitum... statutorum uniuscuiusque instituti », et ideo ita fines et modum ordinariae administrationis delineare potest ut personæ canonicae privatae suos fines convenienter assequi valeant.

Rev.mus sextus Consultor item censet nullam mutationem esse inducendam in can. 1527 quia bona ad personas canonicas privatas pertinentia sunt « bona ecclesiastica » et ideo eadem ratione ac bona personarum publicarum regi debent.

Rev.mus primus Consultor admittit rationes a Rev.mis Relatore, quinto et secundo Consultoribus allatas, tamen, dicit ipse, casus dari possunt in quibus ex ipsis statutis personarum canonicarum privatuarum invocentur modi et limites ordinariae administrationis ab Ordinario statuendi, et ideo, saltem ex hoc capite nulla mutatio in canone videtur facienda.

Rev.mus quintus Consultor admittit etiam pro personis canoniciis privatis statuendos esse limites ordinariae administrationis, sed tales limites determinari debent in propriis statutis.

Suffragatur placeatne restringere can. 1527 ad solas personas publicas:
placet 6; non placet 1; placet iuxta modum 2.

Alia § ergo addi debet his verbis: « Quoad bona ad personas canonicas privatas pertinentia provideatur iure particulari ».

Rev.mus Relator censet quod normae de alienatione bonorum aliter statuendae sunt cum agatur de bonis quae ad personas canonicas privatas pertinent.

Propositio omnibus placet et ideo, communi consilio, novus canon redigitur his verbis:

Can. 1529

« De alienatione bonorum quae ad personas canonicas privatas pertinent, serventur propria eorum statuta. Si bona pertineant ad personas canonicas publicas serventur canones qui sequuntur ».

In canone autem 1530 (Ad alienanda bona quae alicuius personæ moralis etc...) supprimendum est verbum « alicuius ».

Can. 1536 § 1

Nisi contrarium probetur fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae morali factae.

Rev.mi quartus et quintus Consultores proponunt ut post verbum «ecclesiasticae» addatur «etiam privatae».

Propositio non placet, quia iam in textu canonis habetur «*cuiusvis* personae moralis...», et ideo etiam personae canonicae privatae comprehenduntur in hoc canone.

Can. 1541

§ 1. In locatione bonorum ecclesiasticorum serventur leges civiles.

§ 2. Firmo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adjunctis, normas statuere de bonis ecclesiasticis locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtinenda.

Rev.mus Relator proponit ut norma § 2 non extendatur ad personas canonicas privatas.

Propositio omnibus placet. Ideoque sequens mutatio facienda est: «... normas statuere de bonis personarum canonicarum publicarum locandis, praesertim quod attinet etc.».

Adunatio VI^a
die 18 decembris 1969 mane habita

Can. 1544 § 1

Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi vel praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut pietatis, caritatis et apostolatus opera peragendi.

Quaestio habetur num piae fundationes constitui possint apud personas canonicas privatas.

Circa possibilitatem nemo dubitat.

Plures Consultores autem dubitant de opportunitate constituendi pias fundationes apud personas canonicas privatas. Figura enim personae canonicae privatae est nova in iure canonico et ideo bonum esset si non cito ipsi fere omnia iura tribuantur, quae personae canonicae publicae competit (Rev.mi Relator, quartus, tertius, quintus et octavus Consultores).

Rev.mus secundus Consultor concedere vellet facultatem constituendi apud personas canonicas privatas illas tantum fundationes quae onera peragendi *opera caritatis* habent; fundationes autem ad Missas celebrandas aut ad opera apostolatus et cultus peragenda, apud personas canonicas publicas constituantur.

Rev.mi nonus et sextus Consultores censem pias fundationes constitui posse apud personas canonicas privatas, dummodo id praevideatur in statutis particularibus earundem personarum.

Rev.mus primus Consultor proponit ut personae canonicae privatae aequiparentur personis publicis, quod attinet ad pias fundationes.

Suffragatur placeatne excludere personas canonicas privatas a piis foundationibus:

placet 5; non placet 3; se abstinet a sententia ferenda 1.

Ideo formula can. 1544 § 1 ita mutatur: «Nomine piarum fundacionum significantur bona temporalia alicui *personae canonicae publicae* quoque modo data cum onere etc...».

Examine omnium canonum peracto, quaeritur num, attentis omnibus mutationibus in canones inductis, necesse sit inter canones generales normam ponere circa regimen bonorum quae pertinent ad personas canonicas privatas.

Rev.mus primus Consultor censem quae questionem facile definiri posse. Omnibus enim mutationibus factis perpensis, facile enucleari poterit norma quae respondeat criterio a Consultoribus habito in faciendis discussiobibus et suffragationibus ad mutationes ipsas inducendas.

Deinde habetur aliqua discussio ex qua appareat non univocum criterium Consultores secutos esse in discussionibus et suffragationibus faciendis:

– aliqui enim in mente habuerunt hoc criterium: bona personarum canonistarum privatarum reguntur normis iuris communis nisi expresse in singulis normis exceptio fiat;

– alii autem in mente habuerunt hoc criterium: bona personarum canonistarum privatarum non reguntur normis iuris communis, nisi in singulis canonibus expresse dicatur.

Adunatio VII^a
die 19 decembris 1969 vespere habita

Suffragatur placeatne hoc principium: «Bona personae privatae subduntur normis communibus nisi expresse eximentur».

Placet 3; non placet 5.

Suffragatur placeatne principium oppositum: «Bona personae privatae non subduntur normis iuris communis nisi expresse includantur».

Placet 7; non placet 1.

Consequenter examinantur brevissime omnes mutationes in canones inductas et ex illis retinentur tantum quae in sequentibus canonibus factae sunt: cann. 1496, 1498, 1502 § 1, 1503 § 1, 1520 bis, 1521, 1522, 1530, 1544.¹

Deinde novus canon generalis redigitur qui erit can. 1499 bis:

«§ 1. Bona ecclesiastica quae ad personas canonicas publicas pertinent moderantur canones qui sequuntur.

§ 2. Bona autem ecclesiastica quae ad personas canonicas privatas pertinent moderantur a iure particulari, aut propriis statutis, nisi aliud in hisce canonibus caustum sit».

¹ Per se neque in can. 1544 retinenda esset mutatio inducta («personae canonicae publicae» loco «personae morali in Ecclesia»), quia etiam per primitivam dictionem («personae morali in Ecclesia») in hoc canone tantum persona canonica publica veniret. Nulla enim expressa inclusio personae canonicae privatae habetur. Tamen nova dictio «personae canonicae publicae» in hoc canone retinetur quia agitur *de definitione* piae foundationis. Ita 5 contra 3 Consultores voluerunt.

QUAESTIO II

DE ALIIS CANONIBUS TRANSFERENDIS IN PARTEM
DE IURE PATRIMONIALI ECCLESIAE

Consultoribus praebetur aliquis conspectus canonum CIC qui ad bona patrimonialia referuntur (praeter in lib. III, p. VI):

- 1) De patrimonio ecclesiarum (cann. 1182 ss.).
- 2) De bonis beneficialibus (cann. 1472 ss.).
- 3) De patrimonio religiosorum (cann. 531; 676).
- 4) De patrimonio associationum fidelium (can. 691).
- 5) De dotibus religiosarum (cann. 547 ss.).
- 6) De titulo patrimonii ordinandorum (cann. 979 ss.).
- 7) De simonia (cann. 727-730 incl.).
- 8) De transactione (cann. 1925-1929).

Quaeritur placeatne tales canones in partem de iure patrimoniali transferre.

Rev.mus secundus Consultor animadvertisit quaestionem iam solutam esse a Coetu *De ordinatione systematica novi Codicis Iuris Canonici*. Ex schemate enim novae ordinationis systematicae, Em.mis Patribus Commissionis proposito et ab ipsis saltem provisorie approbato, clare appareat mandatum nobis commissum « ut in parte distincta legislatio habeatur de bonis Ecclesiae temporalibus seu de iure patrimoniali Ecclesiae » (cf. Quaestio de ordinatione systematica novi Codicis Iuris Canonici, p. 14).

Quaestio potius ponitur num radicitus omnes quaestiones patrimoniales debeant in hanc partem transferri; aliquando enim aspectus patrimoniales tam intime nectuntur cum aliis materiis ut separari nequeant. Sed de hac quaestione videndum erit in singulis casibus.

Quandoque vero de eadem re, sub diversis tamen respectibus, normae statuendae sunt et in parte de iure patrimoniali et in aliis partibus; ita, ex.gr. in hac parte normae statuendae sunt de praescriptione, quatenus praescriptio spectat ad bona temporalia; alibi de praescriptione quoque agendum erit, quatenus praescriptio spectat ad alia iura.

Omnes alii Consultores concordant cum Rev.mo secundo Consultore, tamen animadvertisunt canones de simonia alibi collocandos esse, non vero in parte de iure patrimoniali.

Em.mus Praeses assentit his propositis et decernit aliquos Consultores aliorum Coetuum convocandos esse, quando sermo erit de materiis qui nexus habent cum materiis ab ipsis tractandis.

QUAESTIO III
DE ORDINATIONE TOTIUS ARGUMENTI IN LIBRO
DE IURE PATRIMONIALI ECCLESIAE

Consultoribus praebetur aliquod schema, a Secretaria adumbratum, circa novam ordinationem systematicam partis de iure patrimoniali Ecclesiae:

- 1) Canones praeliminares
- 2) De subiecto dominii bonorum ecclesiasticorum
- 3) De obiecto bonorum ecclesiasticorum
 - a) De massis in dioecesibus constituendis
 - b) De patrimonio ecclesiarum
 - c) De piis voluntatibus in genere et de fundationibus in specie
 - d) De patrimonio religiosorum
- 4) De administratione bonorum ecclesiasticorum
- 5) De alienatione et de contractibus
- 6) De transactione
- 7) De praescriptionibus.

Em.mus Praeses et plures Consultores censem de ordine systematico disputandum esse postquam omnes canones iuris patrimonialis, etiam illi qui nunc in CIC alibi extant, recogniti fuerint.

Rev.mus secundus Consultor vero censet quod discussio de ordine systematico non implicat tantum ordinationem materiae iam extantis, quia ex discussione ipsius ordinis systematici apparere possunt novae quaestiones substantiales iuris patrimonialis de quibus ratio habenda erit in novo systemate. Ideo aliqua discussio circa ordinationem systematicam cito facienda esset.

Suggestio Rev.mi secundi Consultoris non placet.

His dictis, finis Sessioni imponitur.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

Can. 1495

Ecclesia catholica et Apostolica Sedes bona temporalia iure nativo acquirere, retinere et administrare valent ad fines sibi proprios prosequendos.

Can. 1496

Subiectum capax bona temporalia acquirendi, retinendi et administrandi ad normam iuris sunt Conferentiae episcopales, dioeceses, paroeciae aliaeque personae morales etiam privatae, quae ex ipso iuris praescripto sive ex speciali competentis auctoritatis ecclesiasticae concessione in iuridicam personam erectae sint.

Can. 1497

In Ecclesia bona temporalia acquiruntur, possidentur, administrantur in fines qui a doctrina Christi et ab ipsius Ecclesiae ordinatione statuuntur; praesertim ad cultum divinum ordinandum, ad honestam cleri aliorumque ministrorum sustentationem procurandam, ad opera sacri apostolatus et caritatis exercenda.

Can. 1498

Dominium bonorum, sub supra auctoritate Romani Pontificis, ad eam pertinet moralem personam, quae eadem bona legitime acquisiverit.

Can. 1499

Bona temporalia omnia, quae ad Ecclesiam, Apostolicam Sedem aliasve in Ecclesia personas morales sive publicas sive privatas pertinent, sunt bona ecclesiastica.

Can. 1499 bis

§ 1. Bona ecclesiastica quae ad personas canonicas publicas pertinent moderantur canones qui sequuntur.

§ 2. Bona autem ecclesiastica quae ad personas canonicas privatas pertinent moderantur ius particulare aut propria statuta, nisi aliud in hisce canonibus cautum sit.

Can. 1500

Ecclesiae nativum quoque ius est exigendi a fidelibus quae ad fines sibi proprios sint necessaria.

Can. 1501

§ 1. Fideles vera obligatione tenentur contribuendi ut fines de quibus in can. 1497 Ecclesia assequi possit.

§ 2. Specialiter meminerint fideles se teneri obligatione pro posse procurandi necessaria subsidia ad honestam sustentationem eorum qui in bonum spirituale fidelium in Ecclesia operam impendunt.

§ 3. Episcopi de his obligationibus fideles monere tenentur et opportuno modo eas urgere current.

Can. 1502

§ 1. Ius Ordinariis locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam moralibus sive publicis sive privatis, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi auditio Consilio presbyterali.

§ 2. Conferentiae Episcoporum pro suo quaeque territorio normas statuere debent ad ordinationem tributorum regendam.

§ 3. Fideles subsidia Ecclesiae conferant per obventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasione magis quam coactione fideles inducant ad hanc obligationem implendam.

Can. 1503

§ 1. Salvo iure religiosorum, vetatur persona quaeviis privata sive physica sive canonica sine proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia, in scriptis data, stipem cogere pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine.

§ 2. Conferentia episcopalis cuiusque nationis potest, auditis Superioribus religiosis quorum interest, normas de stipe quaeritanda statuere, quae ab omnibus Religionibus servari debent, iis non exclusis quae ex instituto mendicantes vocantur et sunt, salvo tamen earundem mendicandi iure.

§ 3. In omnibus ecclesiis et in omnibus oratoriis publicis vel semipublicis, etiam ad religiosos pertinentibus, quae de facto habitualiter christifidelibus pateant, Ordinarius loci praecipere potest ut specialis stips colligatur pro determinatis inceptis paroecialibus vel dioecesanis, nationalibus vel universalibus, ad episcopalem Curiam postea sedulomittenda.

Can. 1504

Nisi aliud iure cautum sit, praefinire taxas pro actibus iurisdictionis non judicialis vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministracionis sacramentorum et sacramentalium est conventus Episcoporum provinciae.

DE PIIS FUNDATIONIBUS

Can. 1513

§ 1. Qui ex iure naturae et ecclesiastico libere valet de suis bonis statuere, potest ad causas pias, sive per actum inter vivos sive per actum mortis causa, bona relinquere.

§ 2. In dispositionibus mortis causa ad causas pias serventur, si fieri possit, sollemnitates iuris civilis; hae si omissae fuerint heredes moneri debent de obligatione qua tenentur ex iustitia adimplendi testatoris voluntatem.

Can. 1514

Voluntates fidelium facultates suas in pias causas donantium vel relinquentium, sive per actum inter vivos, sive per actum mortis, legitime acceptatae, diligentissime impleantur etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, salvo praescripto can. 1515, § 3.

Can. 1515

§ 1. Ordinarii omnium piarum voluntatum tam mortis causa quam inter vivos executores sunt.

§ 2. Hoc ex iure Ordinarii vigilare possunt, ac debent, etiam per visitationem, ut piae voluntates impleantur, et alii executores debent, perfuncti munere, illis reddere rationem.

§ 3. Clausulae huic Ordinariorum iuri contrariae, ultimis voluntatibus adiectae, tamquam non apposita habeantur.

Can. 1516

§ 1. Clericus vel religiosus qui bona ad pias causas sive per actum inter vivos, sive ex testamento fiduciarie accepit, debet de sua fiducia Ordinarii certiores reddere, eique omnia istiusmodi bona seu mobilia seu immobilia cum oneribus adjunctis indicare; quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet.

§ 2. Ordinarius debet exigere ut bona fiduciaria in tuto collocentur et vigilare pro executione piae voluntatis ad normam can. 1515.

§ 3. Bonis fiduciariis alicui religioso commissis, si quidem bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius de qua in §§ 1, 2, est loci Ordinarius; secus est Superior Maior in religione clericali, Ordinarius eiusdem religiosi proprius in religione laicali.

Can. 1517

§ 1. Reductio onerum Missarum generatim reservatur Sedi Apostolicae.

§ 2. Si vero in tabulis fundationum id expresse caveatur, Ordinarius ob imminutos redditus onera Missarum reducere valet.

§ 3. Episcopis dioecesanis, aliisque in iure ipsis aequiparatis, competit iure facultas reducendi ob diminutionem redditum, quamdiu causa perduraret, ad rationem eleemosynae in dioecesi legitime vigentis, Missas legatorum, quae sint per se stantia, dummodo nemo sit qui obligatione teneatur et utiliter cogi possit ad eleemosynae augmentum faciendum.

§ 4. Iisdem iure competit facultas reducendi onera seu legata Missarum gravantium beneficia aliave instituta ecclesiastica, si redditus beneficii aut instituti insufficientes evaserint ad honestam beneficiarii sustentationem et ad implenda opera sacri ministerii forte beneficio adnexa, vel ad finem proprium eiusdem instituti ecclesiastici congruenter consequendum.

§ 5. Iisdem facultatibus de quibus in §§ 3 et 4 gaudent Supremi Moderatores religionum clericalium.

§ 6. Facultates in §§ 3, 4 comprehensas Episcopi delegare non valent nisi Coadiutori, Auxiliaribus, Vicariis Episcopalibus et Vicario Generali; Vicarii autem ac Praefecti Apostolici suo tantum Vicario Delegato.

Can. 1517 bis

§ 1. Firmis praescriptis canonis praecedentis, ultimarum voluntatum in pias causas reductio, moderatio, commutatio, siquidem fundator potestatem hanc Ordinario expresse concesserit, potest ab eodem fieri ex iusta tantum et necessaria causa.

§ 2. Si executio onerum impositorum, ob imminutos reditus aliamve causam, nulla administratorum culpa, impossibilis evaserit, Ordinarius, auditis iis quorum interest et proprio consilio administrationis atque servata, meliori qua fieri potest modo, fundatoris voluntate, poterit eadem onera aequo imminuere. In dubio circa intentionem aut modum attingendi finem testatoris, iudicium eidem Ordinario reservatur.

§ 3. In ceteris casibus recurrentum est ad Sedem Apostolicam.

DE PIIS FUNDATIONIBUS

Can. 1544

§ 1. Nomine piarum foundationum significantur bona temporalia alicui personae canonicae publicae quoquo modo data cum onere in diuturnum tempus, iure particulari determinandum, ex redditibus annuis Missas celebrandi vel praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut pietatis, caritatis et apostolatus opera peragendi.

§ 2. Fundatio, legitime acceptata, naturam induit contractus synallagmatici: do ut facias.

Can. 1545

Iuris particularis est definire conditiones sine quibus piae foundationes acceptari nequeunt.

Can. 1546

§ 1. Ut huiusmodi foundationes a persona morali valide acceptari possint, requiritur consensus Ordinarii in scriptis datus, qui eum ne praebeat antequam legitime compererit personam moralem tum novo oneri suscipiendo, tum iam

susceptis satisfacere posse; maximeque caveat ut redditus omnino respondeat oneribus adiunctis secundum cuiusque loci vel regionis morem.

§ 2. *Suppressa.*²

Can. 1547

Pecunia et bona mobilia, dotationis nomine assignata, statim in loco tuto ab Ordinario approbando deponantur ad eum finem ut eadem pecunia vel bonorum mobilium pretium custodiantur et quamprimum caute et utiliter secundum prudens eiusdem Ordinarii iudicium, auditis et iis quorum interest et proprio administrationis consilio, collocentur in commodum eiusdem fundationis cum expressa et individua mentione oneris.

Can. 1548

§ 1. Fundationes, etiam viva voce factae, scripto consignentur.

§ 2. Alterum tabularum exemplum in Curiae archivo, alterum in archivo personae moralis, ad quam fundatio spectat, tuto asservetur.

Can. 1549

§ 1. Servatis praescriptis cann. 1514-1516 et can. 1525, onerum ex piis foundationibus incumbentium tabella conficiatur quae apud rectorem ecclesiae vel instituti in loco tuto servetur.

§ 2. Praeter librum de quo in can. 843 § 1, alter liber retineatur et apud eundem rectorem servetur, in quo singula onera eorumque implementum et eleemosynae adnotentur.

Can. 1550

Suppressus.

Can. 1551

In reductione onerum quae pias fundationes gravant serventur normae de quibus in can. 1517.

² Rev.mus sextus Consultor, cui tres Consultores assensi sunt, hanc § 2 proposuit:

«Ius acceptandi, constituendi et administrandi pias fundationes, ad normam iuris, legitimae auctoritati ecclesiasticae exclusive competit».

DE BONIS ECCLESIASTICIS ADMINISTRANDIS

Can. 1518

«Summus Pontifex, vi Primatus iurisdictionis, est omnium bonorum ecclesiasticorum supremus administrator et dispensator».³

Can. 1519

Bona ecclesiastica, quae ex pluribus dioecesibus coalescunt, ad normam canonum ... administrantur secundum normas a Conferentiis episcopali- bus legitime statutas.

Can. 1519 bis

§ 1. Ordinarii est sedulo advigilare administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum, quae ad personas morales pertinent suae iurisdictioni subiectas, salvis legitimis praescriptionibus, quae eidem potiora iura tribuant.

§ 2. Habita ratione iurium, legitimarum consuetudinum et circumstantiarum, Ordinarii, editis peculiaribus instructionibus intra fines iuris communis, universum administrationis bonorum ecclesiasticorum negotium ordinandum current.

Can. 1520

§ 1. Quilibet Ordinarius proprium Consilium administrationis instituat, quod constet praeside, qui est ipse Ordinarius, et aliquot viris idoneis, quorum saltem unus ad Consilium presbyterale pertineat, ab ipso Ordinario eligendis, auditio eodem Consilio presbyterali, nisi iure particulari alio aequivalenti modo provideatur.

§ 2. Ordinarius statuat normas quibus Consilium administrationis suum munus adimplere debeat.

§ 3. A Consilio administrationis excluduntur viri qui cum Ordinario primo vel secundo gradu consanguinitatis vel affinitatis coniuncti sunt.

³ N.B.: Mens Consultorum est ut hic canon in Codicem fundamentalem transferatur, et eiusdem loco, sub eodem numero, sequens textus collocetur:

«Summi Pontificis est legibus generalibus administrationem bonorum ecclesiasticorum moderari et graviores causas suo iudicio reservare».

§ 4. Ordinarius in administrationis actibus maioris momenti Consilium administrationis audire tenetur; huius tamen sodales votum habent tantum consultivum, nisi iure communi in casibus specialiter expressis vel ex tabulis fundationis eorum consensus exigatur.

Can. 1520 bis

Administratio bonorum ecclesiasticorum personae canonicae sive publicae sive privatae penes eum est, qui immediate regit personam ad quam eadem bona pertinent, nisi aliud ferat ius particulare, statuta aut legitima consuetudo.

Can. 1521

In administratione bonorum ecclesiasticorum personae, sive publicae sive privatae, quae ex iure vel tabulis fundationis aut propriis statutis suos non habent administratores, Ordinarius assumat viros idoneos, qui elapso triennio a munere cessant, nisi ab Ordinario iterum nominentur.

Can. 1521 bis

Omnis, sive clerici sive laici, qui legitimo titulo partes habent in administratione bonorum ecclesiasticorum, munera sua adimplere tenentur nomine Ecclesiae, ad normam iuris.

Can. 1521 ter

§ 1. Quilibet Episcopus tenetur officium oeconomi constituere pro administratione bonorum, quae ad dioecesim pertinent, nisi parvitas dioecesis aut paucitas negotiorum aliud suadeat.

§ 2. Oeconomus nominatur ab Episcopo, auditio Consilio presbyterali.

§ 3. Praeter munus administrandi, sub auctoritate Episcopi, bona temporalia dioecesis, oecono committi possunt ab eodem Episcopo munera de quibus in cann. 1519 § 1 et 1521 § 1.

Can. 1522

§ 1. Antequam administratores bonorum ecclesiasticorum suum munus ineant:

- 1º Debent se bene et fideliter administraturos coram Ordinario vel eiusdem delegato iureiurando cavere;⁴
- 2º accuratum ac distinctum inventarium, ab ipsis subscriendum, rerum immobilium, rerum mobilium pretiosarum aliarumve cum descriptione atque aestimatione earumdem redigatur, redactumque recognoscatur;
- 3º huius inventarii alterum exemplar conservetur in tabulario administrationis, alterum in archivo Curiae; et in utroque quaelibet immutatio adnotetur quam patrimonium subire contingat.

§ 2. Eadem valent etiam de administratoribus bonorum personarum canonicarum privatuarum nisi aliud in propriis statutis cautum sit.

Can. 1523

§ 1. Omnes administratores bonorum ecclesiasticorum diligentia boni patrisfamilias suum munus implere tenentur.

§ 2. Exinde debent:

- 1º vigilare ne bona ecclesiastica sua curae concredita quoquo modo pereant aut detrimentum capiant, initis in hunc finem, quantum opus sit, contractibus adsecurationis;
- 2º praescripta servare iuris tam canonici quam civilis, aut quae a fundatore vel donatore vel legitima auctoritate imposita sint;
- 3º redditus bonorum ac proventus accurate et iusto tempore exigere exactosque tuto servare et secundum fundatoris mentem aut legitimas normas impendere;
- 4º foenus vel mutui vel hypothecae causa solvendum statuto tempore solvere, ipsamque debiti summam capitalem quam citissime redimendam curare;
- 5º pecuniam, quae de expensis supersit et utiliter collocari potest, de consensu Ordinarii, in fines ecclesiae vel instituti occupare;
- 6º accepti et expensi libros bene ordinatos habere;
- 7º rationem administrationis conclusivam quotannis componere atque ad Ordinarium transmittere;

⁴ Nota: hic numerus ex suffragatione, 5 contra 5, probatus non est; inseritur in Acta ut provideant Superiores.

8° documenta et instrumenta, quibus iura Ecclesiae aut instituti in bona nituntur, rite ordinare et in archivio convenienti et apto custodire; authentica vero eorum exemplaria, ubi commode fieri potest, in archivio Curiae deponere.

§ 3. Rationes etiam praeventivae ab administratoribus quotannis componentae enixe commendantur.

§ 4. De rationibus praeventivis provideat ius particulare tum quoad eas praecipiendas vel commendandas, tum quoad modos quibus eadem sint exhibendae.

Can. 1523 bis

Intra limites dumtaxat ordinariae administrationis, fas est administratoribus bonorum ecclesiasticorum de bonis mobilibus quae ad patrimonium stabile non pertinent, donationes ad fines pietatis aut christianaे caritatis facere.

Can. 1524

§ 1. Administratores bonorum ecclesiasticorum in operum locatione leges, quibus labor et vita socialis dirigitur, adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita.⁵

§ 2. Iis, qui Ecclesiae operam ex condicto praestant, iustum et honestam mercedem tribuant ita ut eisdem facultates praebantur suam suorumque vitam religiosam, familiarem, socialem, culturalem adaequate colendi.

Can. 1525

§ 1. Reprobata contraria consuetudine, administratores tam ecclesiastici quam laici quorumvis bonorum ecclesiasticorum, quae ex Ordinarii loci iurisdictione non sint legitime subducta, singulis annis officio tenentur rationes Consilio administrationis exhibendi, quod, examine peracto, eas Ordinario tradat.

⁵ Rev.mus secundus Consultor vult ut in nota ponantur sequentes textus formularum huius § 1:

«Administratores bonorum ecclesiasticorum in gestione negotiorum officii sui, praesertim in operae (operarum) conductione, leges quibus labor et vita socialis dirigitur adamussim servent, iuxta principia ab Ecclesia tradita».

Vel «Administratores bonorum ecclesiasticorum in gestione negotiorum officii sui, quae iustum socialem tangunt (spectant), praesertim in operae (operarum) conductione, leges quibus...».

§ 2. De bonis, quae a fidelibus Ecclesiae offeruntur, administratores, nisi iusta causa aliud suadeat, rationes eisdem fidelibus reddere debent iuxta modum iure particulari statuendum.

Can. 1526

Administratores litem nomine Ecclesiae ne inchoent neve contestentur in foro civili nisi licentiam scripto datum Ordinarii proprii et Ordinarii loci obtinuerint.

Can. 1527

§ 1. Ordinarii est, postquam Consilium administrationis audierit, determinare, editis peculiaribus praescriptionibus intra ambitum iuris sive communis sive particularis et statutorum particularium uniuscuiusque instituti, quinam actus ordinariae administrationis fines et modum excedant.

§ 2. Administratores invalide ponunt actus qui fines modumque ordinariae administrationis excedunt, nisi prius ab Ordinario facultatem scripto dandam impetraverint.

§ 3. Nisi quando et quatenus in rem suam versum sit, Ecclesia non tenetur respondere de actibus ab administratoribus invalide positis. De actibus autem ab eisdem administratoribus illicite sed valide positis respondebit Ecclesia, salvo iure recursus contra illos, qui damna eidem intulerunt.

Can. 1528

Etsi ad administrationem non teneantur titulo officii ecclesiastici, administratores munus expresse vel tacite susceptum arbitratu suo dimittere nequeunt.

Can. 1530

Ad alienanda bona quae personae moralis ecclesiasticae ex legitima assignatione patrimonium stabile constituunt, requiritur consensus legitimis superioris, sine quo alienatio invalida est.

Can. 1530 bis

§ 1. Legitimus superior de quo in can. 1530 est loci Ordinarius qui audire tenetur administrationis Consilium et consensum habere eorum quorum interest.

§ 2. Si tamen agatur de rebus *quarum valor summam* a Conferentia episcopali pro sua cuiusque regione definiendam excedit, [vel de rebus pretiosis artis vel historiae causa], consensus loci Ordinarii *prius* confirmari debet a Commissione speciali ad eum finem ab eadem Conferentia statuta.

§ 3. Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis [vel de rebus pretiosis], vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo summam a Conferentia Episcopali ad normam § 2 definitam, Superior competens etiam consensum S. Sedis ad valide agendum obtinere debet.

– *alia formula* § 3:

(§ 3). Si denique agatur de rebus ex voto Ecclesiae donatis vel de rebus pretiosis *quarum valor dimidiam* excedit summam a Conferentia episcopali ad normam § 2 definitam, vel de quibusvis bonis quorum valor excedit duplo istam summam (a Conferentia episcopali statutam), Superior competens etiam consensum Apostolicae Sedis ad valide agendum obtinere debet.⁶

§ 4. Si res alienanda sit divisibilis, in petendo consensu vel confirmatione pro alienatione exprimi debent partes antea alienatae; secus consensus irritus est.

§ 5. Ii qui in alienandis bonis ecclesiasticis consilio vel consensu partem habere debent, ne praebant consilium vel consensum nisi prius exacte fuerint edocti tam de statu oeconomico personae moralis cuius bona alienanda proponuntur, quam de alienationibus iam peractis.

Can. 1530 ter

§ 1. Ad alienanda bona ecclesiastica requiritur insuper:

- 1° iusta causa veluti urgens necessitas, evidens utilitas, pietas, caritas, bonum pastorale.
- 2° Aestimatio rei alienandae a peritis scripto facta.

§ 2. Aliae quoque cautelae a legitimo superiore praescriptae serventur ut Ecclesiae damnum vitetur.

⁶ N.B.: De rebus pretiosis vel dicetur in § 2 vel dicetur in § 3.

Can. 1531

§ 1. Res alienari minori pretio ordinarie non debet quam quod in aestimatione indicatur.

§ 2. Pecunia ex alienatione percepta vel in commodum Ecclesiae caute collocetur, vel iuxta alienationis fines, prudenter erogetur.

Can. 1533

Sollemnitates ad normam cann. 1530-1531 requiruntur non solum in alienatione, sed etiam in quolibet negotio quo conditio patrimonialis Ecclesiae peior fieri possit.

Can. 1534

Si quando bona ecclesiastica sine quidem debitibus sollemnitatibus canonis, in forma tamen civiliter valida, alienata fuerint, superioris competentis est decernere, omnibus mature perpensis, an et qualis actio, personalis scilicet vel realis, a quoniam et contra quemnam instituenda sit ad Ecclesiae iura vindicanda (formula maioritatis Consultorum).

Can. 1534

§ 1. Ecclesiae competit actio personalis contra eum qui sine debitibus sollemnitatibus bona ecclesiastica alienaverit; realis vero, si alienatio nulla fuerit, contra quemlibet possessorem, salvo iure emptoris contra male alienantem.

§ 2. Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt qui rem alienavit, eius Superior, utriusque successor in officio, tandem quilibet clericus illi ecclesiae adscriptus, quae damnum passa sit.

§ 3. Prudentiae superioris competentis committitur concessio licentiae ad instituendam actionem ad normam §§ 1 et 2 (formula minoritatis Consultorum).

Can. 1534 bis

Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere, quam in specie, et de solutionibus, eadem iure canonico in re quae iurisdictioni Ecclesiae subest iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.

Can. 1536

§ 1. Nisi contrarium probetur fidelium oblationes superioribus vel administratoribus cuiusvis personae moralis ecclesiasticae eorumve adiutoribus factae, praesumuntur ipsi personae morali factae.

§ 2. Oblationes de quibus in § 1 repudiari nequeunt sine licentia Ordinarii.

Can. 1540

Nisi res sit minimi momenti, bona ecclesiae propriis administratoribus eorumve coniunctis in primo aut secundo consanguinitatis vel affinitatis gradu non sunt vendenda aut locanda sine speciali ccmpetentis superioris licentia scripto data.

Can. 1541

§ 1. In locatione bonorum ecclesiasticorum serventur leges civiles.

§ 2. Fermo praescripto § 1, Conferentiae Episcoporum est, attentis locorum adiunctis, normas statuere de bonis ecclesiasticis locandis, praesertim de licentia a competenti auctoritate ecclesiastica obtinenda.

Can. 1543

Si res fungibilis ita alicui detur ut eius fiat et postea tantundem in eodem genere restituatur, nihil lucri, ratione ipsius contractus, percipi potest; sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci, nisi constet ipsum esse immoderatum, aut etiam de lucro maiore, si iustus ac proportionatus titulus suffragetur.⁷

⁷ N.B.: Circa hunc canonem Consultores crediderunt non esse hic locus aptus. Quod si superiori instantiae videatur canonem esse servandum, locus aptior inveniendus erit.

DE MASSIS IN DIOECESIBUS CONSTITUENDIS

§ 1. Advigilent Episcoporum Conferentiae, iuxta normas ab ipsis condendas, ut in singulis dioecesibus habeatur speciale institutum quod bona vel oblationes colligat eum in finem ut honestae necnon fundamentaliter aequali substentationi omnium clericorum, qui in populi Dei servitium munere funguntur, apte provideatur.

§ 2. In nationibus ubi praevidentia socialis in favorem cleri nondum apte ordinata est, current Conferentiae Episcoporum pro suo cuiusque territorio ut habeantur instituta quibus, sub vigilantia Hierarchiae, securitati sociali clericorum satis provideatur.

§ 3. In singulis dioecesibus vel regionibus, modis ab Episcoporum Conferentiis definiendis, laicorum etiam opera adhibita, constituatur quantum fieri possit massa communis qua valeant Episcopi obligationibus erga alias personas Ecclesiae deservientes satisfacere variisque dioecesis necessitatibus occurrere, queaque etiam valeant dioeceses divitiores adiuvare pauperiores.

§ 4. Pro diversis locorum adjunctis, fines de quibus in §§ 2 et 3 aptius obtineri possunt per instituta dioecesana inter se foederata, vel per cooperationem aut etiam per convenientem consociationem pro variis dioecesibus, imo et pro toto territorio constitutam.

Foveantur insuper relationes, quoties id expedire videatur, inter huiusmodi instituta diversarum nationum ad eorum maiorem efficacitatem promovendam ac tuendam.

§ 5. Haec instituta ita pro posse constituenda sunt ut iure civili quoque efficaciam obtineant.

